




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-561052-p0001-9

DFG



Disputatione de Magistratu

DISPUTATIO POLITICA
DE
MAGISTRATU
DEODUCE ET AUSPICE
EX
SAPIENTISSIMI PHILOSOPHO-
RUM ORDINIS PERMISSU,
SUB PRÆSIDIO,
DN. JOHANNIS PAULI FEL-
WINGER, POL. MET. ELOQ. PROFESSORIS
CELEBERRIMI,
IN ALMA ALTORFENSI ACADEMIA
Publicæ Eruditorum disquisitioni subjicit
JOHANN: RUDOLPHUS TSCHARNERUS
Hols. Slesuicensis,
PHILOSOPHIÆ STUDIOSUS,
Die 12. Maij. in Auditorio Philosophorum,
horâ octavâ

ALTORFINÆ,

Apud GEORGIUM HAGEN, Univ. Typogr.
ANNO M. DC. LX.





VIRIS

Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Consul-
tissimis & Prudentissimis

D O M I N I S
C O N S U L I B U S

Totiq; Ordini Senatorio gravissimo.

Inclitæ & S. R. I. Liberæ Reipublicæ

G O S L A R I E N S I S
P A T R I B U S.

Dominis Mecœnatibus & FAVORIBUS suis
devotè colendissimis,

'Submisse

offert & consecrat

F. R. T.

A. & R.



E Magistratu acturi , supremam
omnesque cum terrestrium cum Cœle-
stium Principatus & Virtutes transcen-
dentem Potestatem devotâ animi , quâ
decet, humilitate adoramus , ut nobis er-
rorum superatis scopulis , missisque ver-
borum , quæ suo damno nimis multoties
juventus persequitur , lenociniis , &c. &
δαρμὸς τῆς διανοίας ἡμῶν πιθανημένος ad felicem temporis filiam Veritatem
portum aperiat , ut discamus reddere Cæsari quæ Cæsar is sunt ,
& Deo , quæ Dei sunt , cui in præsentiarum etiam sit honor &
gloria in secula sæculorum.

I.

Πρὸς τὸ ὁρῶς διδάσκειν δεῖ ἡμᾶς πρῶτον ἐξετάζειν τὸ ὄντος , ἵνα φανερὸν γένηται περὶ τοῦ
ἰμὸν ὁ λόγος . Magistratus originaliter descendit à Magistro : Ma-
gister autem ab adverbio Magis , ut Minister à minus vel minor-
fic ut hic subjectionem importet , ut ille potestatem involvit:
quemadmodum enim Magister suos discipulos , ita subditos Ma-
gistratus suos regere , moderari & gubernare fræno justitiæ debet .

II.

Magistratus dupliciter considerari potest secundùm essentiam
vel secundùm existentiam : in idea vel in subiecto : Formaliter vel
materialiter : Abstractivè vel concretivè . Illo sensu significat
ipsam potestatem vel officium , quod à Deo datur hominibus , de
quo Rom . 13. v. 1. Πᾶντα ψυχὴ ἐξουσίας καταποστόλων καὶ ἐπίσκοπων μὴ λέγεται Θεός .
αὐτῷ γάρ τιναι εἰσοίται , ὑπὸ Θεοῦ τεταγμέναι εἰσούνται . Hoc sensu verò significat ipsas
personas , Principes Rom . 13. 3. ipsos Cæsares Matt . 22. 21. ipsos
Reges Luc . 22. 25. ipsos Dei Diaconos Rom . 13. 4. ipsos Domi-
natores Luc . 22. 25. ipsas κτίστις ἀρχαὶ 1. Pet . 2. 13. quibus potestas
à Deo in subditos data est .

III.

Magistratum non abstractivè & formaliter sed concretivè &
materialiter sumptum hoc modo definimus : Magistratus est per-
sona

sona publica divino instituto delecta , ut benè moderetur Rem-publicam, pœnā corporis transgressores legū puniat, bonos verò foveat & amplectatur, ut populus quietam & tranquillam vitam degat cum omni pietate & honestate. 1. Tim. 2. 2. Ex quibus manifestè patet & luce meridiana clarius elucescit , maximam esse magistratum tum dignitatem , tum utilitatem tum quoque Necessitatem: Dignitas inde apparet, quod ab ipso Deo , qui est Rex Regum & Dominus Dominantium originem ducant: quo posito, quis quæsotam perverso laborat syncipite , tñt potestates supereminentes Deo placere & acceptas esse neget ? Faceant ergo Donatistæ omnesque ~~anæxias~~ ~~næxias~~ propugnatores: Cessent ignominia Majestates afficere pervicaces Anabaptistæ. Dictum est Noæ & filii ejus post diluvianis; quicunq; effuderit sanguinem, per hominem h. e. potestatem Ordinariam gladio armatam, fundetur sanguis illius. Mosi dicit Dominus Deut. 16. 18. Judices & Magistratus constituies in omnibus portis tuis , quas Dominus Deus tuus dederit tibi: per singulas tribus tuas, ut judicent populum in judicio. Utilitas & necessitas Magistratus ex eo patet, quod videmus , ut cum Cicerone loquamur ex libro 3. de LL. hanc Magistratus esse vim , ut præsit & præscribat recta & utilia & conjuncta cum legibus: ut enim Magistratibus leges : ita populo præsunt Magistratus: verè dici potest , Magistratum: legem esse loquenter: legem autem mutum Magistratum: Nihil porrò tam aptum est ad jus conditionemq; naturæ, quam imperium, sine quo nec dominus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest.

IV.

Patet etiam hinc, neutquam errare virum pium & verè Christianum, nec ullo modo suam contaminare conscientiam, si ad gubernacula Reipublicæ collocatus populum gubernet justitia habens: nunquam aliás Melchisedecus Rex & Sacerdos fuisset, nunquam Moses princeps populi: nunquam Josua Dux Israelitarum extitisset: totus pro nobis Judicum chorus facit: nec minus Propheta Samuel, & David, & Josaphat, & Hiskias & Josias, & Nicodemus.

demus unus ex principibus Phariseorum, & Joseph ab Arimathia Senator adeoq; pars Politici Magistratus, quos omnes Dei amicos fuisse extra dubitationis aleam possum est. Resipiscant ergo Anabaptistæ, qui officium Magistratus ab humeris Christianorum demoliri conantur. Nos cum Chrysostomo Dominum aliquem habere malum, etiam tyrannum, quam omnino nullum.

V.

Modus jam, quo Magistratus constituitur, considerandus venit, qui est Legitimus vel illegitimus: Legitimus est divinus vel humanus. Divinus & immediatus est, quo Deus ipse immediate imperium & potestatem humanæ creaturæ tribuit: cuius rei illustre exemplum nobis Princeps populi Hebræi Moses est *Exod. 3.* Humanus est cum consensu subditorum vel expresso vel tacito imperium defertur: atq; hic iterum est vel Ordinarius vel Extraordinarius: Ordinarius est Electio & successio: illa est ordinarius imperium demandandi modus, per quem Magistratus recte & rite eligitur: Hic itidem est legitimus & Ordinarius Magistratum constituendi modus, per quem Magistratui prædecessori vitâ defuncto succedit alius.

VI.

Electionis consideranda venit i. Causa efficiens. 2. Forma. 3. Subjectum. 4. Utilitas. 5. Distinctio. 6. Effectus. Causa efficiens statuitur jus seu potestas, quæ pendet vel à Lege scripta, vel à consuetudine diu in Rep. usurpata & confirmata: atq; sic jus eligendi concessum est, vel certis quibusdā hominibus: sic in Imperio Romano, Septemvirale Collegium, Cæsarem eligendi jus tenere, & leges docent, & consuetudo probat, & hodierna Cæsaris Electio per experientiam Francofurti abundè demonstrat: Vel universo populo: sic statim post condita sæcula ex hominum electione Reges & Dominatores factos esse probabile est: Cum enim primi mortales, qui ex diversis familiis confluerant, vidissent maximas ex aequalitate & anarchia oriri confusiones, ob defectum legis & Regis tanquam judicis, insuperq; à potentioribus firmiores opprimi, ad incommoda hac evitanda, Principem vel Regem futurum elegerunt, cuj initio ulro citrog.

contractu, & mutua officii praestandi sponsione praevante, se submiserunt: Electionem postmodum secuta est successio, quae & ipsa primam debet originem favori populi, ad Regum & Principum heredes dignitate transferentis.

VII.

Ex dictis sequentia Politicus deducere potest: I. Reges & Principes non esse propter se, sed propter subditos, non autem subditos propter Reges: Reges sunt ut salutis populi satagant: Reges ut præsint & præscribant recta & utilia, ac conjuncta cum legibus: summa autem Regi posita lex est populi salus, quæ Magistrati non aliter ac gubernatori cursus secundus, Medico vita sana, ac Imperatori victoria, curæ esse debet, ut opibus firmus, copiis locuples, gloriâ amplius & virtute honestus populus evadat. II. Legitimi orum Regum & Principum non esse absolutam & planè ex legem in subditos potestatem: cum etiam ad salutem Reip. omnibus modis conservandam & procurandam secundum statuta Reip. omnibus modis conservandam & procurandam secundum statuta Reip. juramento obstringantur Magistratus. Quæ etenim quæso aliquando spes remaneret libertatis, si cuivis dominatori liceret, quod liberet? & posset quod liceret? & auderet quod posset? & faceret quod auderet, & quod faceret nullis legum repagulis, nullis contractuum cancellis coerceretur, & molestum esset nemini? benè ergò Cicero egregieque dixit pro Cluentio: Legum ministri magistratus legum interpretes judices, legum denique idcirco omnes servi sumus, ut liberi esse possimus. Et Plinius ad Trajanum: Justæ legi sanctæ & honestæ servire, regnare est. III. Legitimos Reges & Principes posteriores fuist subditis suis: cum hi maximarum ex æqualitate & anarchia ortarum confusionum impatientes Principes futuros elegerint, quibus initio contractu ultro sese subjecerunt.

IIX.

Forma seu modus Electionis cuique ferè Reip. certus & peculiaris esse solet: modus eligendi in Imperio Romano, describitur in Aurea Bulla tit. 2. in qua inter alia disponitur, ne Principes Electorales ex loco electionis discedant, antequam legitima omnibus.

busque numeris absoluta electio peracta fuerit; Et ut, si spatio trin
ginta dierum non consenserint, pane & aquâ tam diu alantur,
donec voluntates eorum in unum conspirent: quam pœnam
quoque, omnibus substractis cibariis, Cardinalibus Papæ ele
ctionem protrahentibus impositam esse ajunt.

IX.

Utilitas Electionis ea est, ut sit administrationis deferendæ
ratio, saluti Reip. nō aduersa, sed optata & salutaris: per hanc enim
inter electum & Electores mutua constituitur & confirmatur be
nevolentia: hi enim favore prosequuntur eum, de quo spem bo
nam conceperunt: ille vero è contra benevolo & propenso affi
citur animo erga eligentes, à quibus imperandi potestatem acci
pit: Quid quod, si rectè instituatur suffragatio, per electionem
nullis illaqueatam præjudiciis, optimus quisque reperitur? quid
quod per hanc aurea libertas conservatur? cùm enim electo præ
scribantur leges, quarum metas ei transgredi nefas est, cùm in
eas ipsum, antequam fræna Imperii capessat, jurare opportuerit,
haud dubiè in columis sarta & tecta remanebit Res publica: quod
nostra Germania, juxta Ungariam, Poloniam & Bohemiam ani
madvertens, magno cum Reip. commodo electione etiamnum
utitur: existimat enim Virtutem semper esse Ducem certiorem,
quam naturam, secundum quam priorem instituitur electio, non
posteriorem.

X.

Distinguitur *Electio in eam*, quæ fit per suffragia, & eam quæ
fit per sortem: Illa est modus eligendi principalis, qui fieri debet in
conventu & loco publico, omnibus, quos jus suffragiorū tangit,
peculiariter citatis, ut is, qui majore eorum consensu destinatus
est, ab omnibus etiam admittatur: Hæc est modus minus principa
lis, quandoquidem ad eum rarius devenitur, & non nisi perrup
trice ferri urgente necessitate, quando nimis ratio & conli
gium deficit, & candidatorum discordibus & paribus eligentium
votis nominatorum, pars est genere, virtute, opibus, aliisq; requi
sitis, conditio: quam dupli posita conditione, per sortem esse eli
gendum aliquando Magistratum, affirmare non erubescimus:

nec

nce est quòd casus, quòd temeritatis, quòd superstitionis, quòd erroris & fallaciæ accusetur sors: Cùm eam non fortuna, sed Deus temperet, *Prov. 16. 18.* quapropter etiam per sortem terræ inter tribus Israëlis est divisa *Num. 36. 2.* per sortem Matthias in Judæ proditoris locum ad Apostolatum evectus est *Act. 1. 26.* per sortem olim apud Syracusanos Sacerdotes electi sunt: postquam enim suffragiis aliqui creaverant, res revocabatur ad sortem, ita scilicet, ut quotquot renuntiassent, tot in hydriam conjicerentur, & cuius nomen prius exiret, is haberet sacerdotium, teste Aristotele *Libro 5. polit. 15.* per sortem olim Romæ omnes dignitates obveniebant: per sortem Alexandri M. successores, ut memoriarum proditum est à *Iust. lib. 13.* regna & provincias diviserunt: unde natum est polythrylletum *sortiri Provinciam*: per sortem etiam hodiè decernitur, quis hostem primò invadere, quis munita oppugnare, quis prætidia collocare debeat?

XI.

Deinde electio est voti vel liberis vel restricti: Liberi voti electio est suffragatio in personam quamcunque, quæ ad Reip. moderandæ gubernacula idonea videtur, cujuscunq; conditionis sit vel etiam nationis: Restricti & determinati voti electio est, quæ suis circumdata limitibus ad certas & determinatas personas ex certa familia gente & natione restricta est: Sic olim per legē Dei Populo Hebræo non licebat sibi Regem præficer extraneū *Deut. 17. 15.* Eum Regem creatore, quem Iova Deus vester elegerit, videlicet de vestra consanguinitate: neq; vocis licebit hominē vobis præficere extraneum & alienigenam. Tandemq; Regis electio ad tribum Judæ ac ultimatè ad familiam Davidis restricta fuit: Sic quoq; Imperium Romanum etiamnum Caroli IV. in *Aur. Bull.* præscripto uteens, neminem ad fasces admittit, qui se non ex sanguine Germano satuin docere posset. Sed ad determinati voti electionem pertinet etiam determinatio ad certas leges, quarum præcipua est de Magistratus officio vel in perpetuum vel ad certum duntaxat tempus conferendo: Si maiores sint Magistratus,

præ-

præstat in perpetuum obligari: perpetuò enim Reip. Gubernatores imperare cum maiestate, & subditorum mores exploratores habere possunt, qui facilius perpetuo, quam ambulatorio parent Magistratui: Si minores sint, Ambulatorium præferendum esse judicat Adam Conzen. pol. lib. 7. cap. 10. cum hac ratione pluribus civibus ad honores detur aditus, & ansa tollatur seditionum, quando paria sperant præmia, qui paria ferunt onera. Monarchia gubernatorem requirit perpetuum: Democratia ambulatorium: Aristocracia ex utroque participat: perspiciendum verò est quid cuiusq; loci ferat consuetudo & quid quaq; recuset, perpetuum ne an ambulatorium facilius subditorum ferant mores & ingenia.

XII.

Subiectum Electionis est persona ad regenda Reip. gubernacula idonea, vel ex toto populo, vel ex certa familia, gente, natione, ordine, cooptanda; ubi sequentia sub considerationem diligentem cadunt 1. Genus. 2. Natio. 3. Existimatio. 4. Ætas. 5. Sexus. 6. Virtus.

XIII.

Cum Magistratus tanquam in excelsa specula stet colloca-tus, suos, in quem omnes fixos oculos habeant, ejusq; vitam ve-luti speculum intueantur, omnia dicta simul & facta animadver-tant, consultissimum videtur, si ad Magistratus fastigium evaha-tur is, qui prosapia illustri natus, non obscurā origine satus est: fa-citum quidem est, ut nonnulli ex humili sordidoque loco progressi ad Rerum publ. gubernacula pervenerint: sic Valerius Aurelia-nus Imperator matre sacrificula prognatus est: Anastasius Im-pe-rator scriba aulicus fuit: Justinus Imperator patrem habuit ar-mentarium: Agathocles Siciliæ Rex figulo patre natus est: Ama-sis Ægypti Rex adhuc privatus, parasitica & furandi celeritate se-se aluit: Herodes Ascalonita qui Judæorum pueros interfecit, & ad necem Christum recens natum furiosus quæsivit, teste Jose-pho, avum habuit ædituum in templo Apollinis: Et ex matre ser-vacreatus est: Servius Tullius Rex Romanorum. Hi tamen omnes

B

non



non tam electione prudenti quam casu quodam, furore etiam vel favore etiam vel favore militum ad fasces pertigerunt: quorum nonnulli satis superque docent, quam verum sit illud Clau-dianum.

Asperius nibilest humili, cùm surgit in altum.

Præstat ergo Viros cligi Illustres & Generosos avitæq; nobilitatis jubare conspicuos.

Fortes creantur fortibus & bonis.

Est in juvencis, est in equis patrum

Virtus; nec imbellem feroceſ.

Progenerant aquile columbam.

XIV.

Extraneum natione & peregrinum ad Reip. gubernacula collocandum esse, non judicamus, quo usq; domesticos reperire idoneos ad ea licet: Quid enim prodest extraneus, quando non tam de regni & Reip. viribus conservandis & augendis est sollicitus, quālē de commodis suis privatis? quid quod principis peregrini jugum molestissimē ferunt subditi? Quod humeris suis sentientes Scythiae ad Alexandrum M. dixerunt: Ut fortior sis quam quisquam, tamen alienum Dominum nemo pati vult.

XV.

Fuere quidem non nulli extranei & peregrini, qui ad domesticam moderandam Remp. olim sunt admissi, ut Trajanus, natione Hispanus, Severus Maximinus & Philippus exteri ad imperium pervenire: sic etiam Poloni exteros sāpē elegerunt, nimirum Jagellones ex Lithuania, Henricum Valleſium ex Gallia, Stephanum Bathoreum ex Transylvania, Sigismundum ex Suecia: sed observare in hoc casu oportet, quod non tam exempla, quām rationes sint spe standæ: multi olim, ut antea jam memoratum, ad imperii fasces pervenerunt, non tam prudenti electione, quam furore & favore barbarizantium initum. Poloni nullam cæteris provinciis necessitatē vel sequelam inferunt: cum processores Poloniæ, ut testantur Politici, suas singulares habeant ratios.

nes

¶.

nes, quibus cæteræ Resp. opus non habent: inter quas præcipua
hæc esse dicitur, quod gens illa ad libertatem nimis proclivis do-
mestico fræno tam facile coerceri non possit, & proinde ad liber-
tatis intersæqualitatem tuendam & paritatem conservandam,
jugo peregrino subjicere sese præoptet: Habuerunt aliâs ipsi Po-
loni, ut scribit Herburtus *Chron. Polon. lib. II.* non agentes & plures
annos, ad Casimirum usque Regem, semper sui generis Reges
& Principes, excepto Wenceslao Bohemo. Bene & egregie in
rem præsentem dictum olim à Lipsio est? Ut in quam domum Vespil-
tones veniunt, signum est funeris; sic Reip. labentis, ad quam fulciendam
adhibentur peregrini.

XVI.

Existimationem Magistratus eligendi quod attinet, sine sce-
lere, sine macula esse debet: illibata & incontaminata. Omni-
um enim in principem defiguntur oculi sive igitur ad Virtutes si-
ve ad flagitia faciem præferat magnâ animi cupiditate sequuntur
omnes: Regis ad exemplum totus componitur Orbis. Removemus er-
go à thronis omnes publici reos criminis; omnes hæreticos; om-
nes ære alieno nimium gravatos; Paupertas meretrix est. Ma-
gnum pauperies approbrium: jubet quidvis & facere & pati Vir-
tutisq; viam descriit arduæ. Omnes ambitiosos & Thrasonum im-
petus: Arcemus à Reip. gubernaculis, omnes vitâ viles & sordi-
darum artium professores: Principem enim supra omnes populi
cognatus heroico assurgere impetu decet: qui autem sublimes &
generosos concipient spiritus, quicunque parvis & vilibus rebus
tanquam ~~Σενβαλις Γνωρης~~ occupantur, & veluti scarabæi sterco-
ribus delectantur? Procul etiam à sceptro, longeque à dignitati-
bus, contra Heliogabali praxin, abesse jubemus omnes scenicos
& theaticos artifices, cum omnibus tum Comicis tum Aurigis.

XVII.

Ætatem eligendi Magistratus quod attinet, nec juveniles ni-
mium, nec seniles niinium ad gubernacula evehendos esse, tum

B 2

leges



leges imperant, tum ratio recta suadet: Non nimium juveniles: quandoquidem, ut Cicero loquitur, istis nec animus rebus gerendis occalluit, nec etas usum dedit bene suadendi: nedum, quod animorum regere impetus nondum valeant; quomodo ergo regent alios? unde non sine prudenti ratione cautum est, ut in Imp. Romano Electorum filii ad hereditarii Electoratus administrationem non admittantur ante annum etatis 18. Quod verò nonnulli in etate juvenili ad Magistratus fastigium ascenderint, non electioni sed successioni potius acceptum ferendum esse videtur: & posito, etatis quosdam juvenilis electos esse, dicimus eos non ad habendas Reip. ilicò tractandas, sed ad spem futuræ gubernationis esse electos. Senes autem à gubernaculis Reip. non planè removemus, cum nec omnes propter etatem decrepitam risu esse soleant, nec omnes avaritiae obnoxii, nec omnes in universum ~~μητροεγι~~, ut cunctorum dicta & facta vellicent, nec in omnibus fons exarescat prudentiae, nec omnes Bis pueri evadant: multi enim sunt, qui antiquorum tempora præveniunt meritis, & quod deest etate, virtute compensant, ait Bernhardus.

XVIII.

Quod sexum eligendi Magistratus spectat, statuunt Politici eum esse promovendum, qui & natura potior & lege capax est ad sustinendam dignitatem: Masculi autem natura & lege tales sunt ex quo patet mulieres ordinariè ad imperium non esse eligendas: dicimus autem Ordinariè, cum modo planè extraordina-rio ad fasces pervenerint multæ, ut Debora *Jud. 4.* Regina Arabiarum *I. Reg. 10. 2. Paral. 9.* Regina Austri *Matt. 12.* Regina Æthiopiarum *Act. 8.* sic nonnullæ etiam laboribus & armis ipsos superare viros, in qua-rum numero Penthesilea furens, mediisq; in milibus ardens: & Artemisia Cariæ Regina: & Camilla Volscorum: & Cleopatra Ægypti. Sed cum pauca quædam exempla extraordinaria regu-lam nobis nullam figere possint, retinemus sententiam nostram inconcussam de mulieribus ad Magistratum ordinariè non ad- mitten-

13

mittendis, nisi alicujus forte provinciæ diuturna consuetudo in
perpetuum tenorem degenerarit, ut in Apulia, Sicilia, Anglia &
Navarræ regno, Hierosolymitano item & Neapolitano, ubi longo
usu confirmatum erat, ut fœminæ etiam ad Ducatum & Prin-
cipatum accederent. Stabilimus autem sententiam nostram his
principiis rationibus. I. Quia ad mandatum divi Pauli coma mu-
lieribus est nutrienda, ut signum subjectionis habeant, *I. Tim. 2. 11.*
II. Quia ut plurimum necessariis deficient requisitis ad imperan-
dum: cum debile sit & imbecillum mulierum consilium, & te-
nue ut plurimum judicium & intellectus satis exilis. *Varium & mu-*
tabile semper Fœmina: & ita quidem ut vetustas etiam fortunam
fluxam & vacillantem habitu pingi voluerit muliebri: sunt mu-
lieres plenæ rimarum, loquaces & garrulæ; & rara avis in terris
fœminæ, quæ fidei concordia non propalet. Sed manum detabu-
la. Animus erat tractare amplius de Extraordinaria Magistratus
constitutione, ejusdemque modo illegitimo, de que Successione
Principis Legitima & Testamentaria: cùm autem augusti char-
tæ nostræ cancelli omnia nunc recipere renuant, sequenti-
bus hæc & qua fieri potest brevitate, conclu-
demus Corollariis.



COROLLARIA.

I.

Damnable & exitiosum meritò rejicitur dogma
Machiavelli, cum licere Principi docet, sine ullo scru-

-B 3 pulo,

14.

pulo, Conscientiae morsu vel honestatis detimento,
ad implificationem aut corroborationem imperii, si-
dem datam fallere ac jus jurandum violare.

II.

Jure divino introductum est, ut in successione pri-
mogenitus præferatur reliquis fratribus.

III.

Cùm officium Magistratus Apostolis, ipsius Chri-
sti authoritate, sit interdictum Matt. 20. meritò etiam-
num hodiè Sacerdotes & Episcopi à Politici Magi-
stratus gestione arcendi videntur.

IV.

Licet Jephta olim ad fastigium Magistratus fue-
rit evectus, Spurios tamen & illegitimos ad regimen
admittendos esse non judicamus.

V.

Impio Magistratui obediendum esse æstimamus,
& non obediendum.

ELE

1. ELEGIA

ELEGIA
ad
Nobilissimum Dn. Responden-
tem.

UT Leo magnanimus pugnando cetera vincit
Bruta, modo solido robore pectus habet;
Sic reliquos omnes superat TSCHARNERUS adultos,
Dum solido mente dixerit avris iqa.

A. C. p.

A. F. WEIDNERUS, SS. Th. St.

II.

O Animi felix! ô terq; quaterq; beate!
Palladios faustis cui contigit ire per hortos
Ominibus TSCHARNERE, & amænos carpere flores,
Flores mellifluo Cantandos Carmine, quos nec
Hora, nec invidia poterunt contundere morsus!
O animi felix! ô Lætus inhospita linquis
Tesqua tenebrarum, Sophiæque sacrata recludis,
Quæq; Magistratus faciat, quo numine sceptrum
Dextra gerat, dextrè cives & jure gubernet,
Sic TSCHARNERE tui pulsabit nominis altas
Fortunâ monstrante viam pia Gloria nubes.
Fama tui per docta virûm feliciter ora
Inoenii, laudes operâ testante, volabit.

Ad



Ad mea Musa SALUS! clamat geminatq; vocatq;
Numina, cœlestem precibus ferentibus orbem:
Fata Viatori concedite prospera, summi
Ut studii meritam liceat contingere metam.

*In omnimodi amoris & honoris testimonium amico suo
honorando, hoc adjicit*

P. A. Kalt.

F I N I S.




Aeldorf, Diss., 1656/61

Cx 261 3006)

Kon





Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



DISPUTATIO POLITICA
DE
MAGISTRATU
Quam *1660*
DEODUCE ET AUSPICE
EX
SAPIENTISSIMI PHILOSOPHO-
RUM ORDINIS PERMISSU,
SUB PRÆSIDIO,
DN. JOHANNIS PAULI FEL-
WINGER, POL. MET. ELOQ. PROFESSORIS
CELEBERRIMI,
IN ALMA ALTORFENSI ACADEMIA
Publicæ Eruditorum disquisitioni subjicit
JOHANN: RUDOLPHUS TSCHARNERUS
Hof. Slesuicensis,
PHILOSOPHIÆ STUDIOSUS,
Die 12. Maij. in Auditorio Philosophorum,
horâ octavâ
ALTORFINÆ,
Apud GEORGIUM HAGEN, Univ. Typogr.
ANNO M. DC. LX.

16
193

